



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 82. Idem Christianorum copiis Varnæ obviam progressus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](#)

arte possent Christianæ classis impetum Sæcul. XV.  
 evitare, dum in angustias Helleponsi A. C. 1444.  
 pervenissent, ab ipsis non amplius clas-  
 sem inventam, quoniam vehementissimo  
 vento de repente exorto pulsa alio fui-  
 set, sique Turcarum copias remoto ul-  
 teriori obice facile trajecisse. Æneas  
 Sylvius in quadam epistola ad Episco- Æn. Sylv.  
epist. 18.  
 pum Papensem scripta narrat, quosdam  
 afferere, Turcarum Imperatorem copias  
 suas Genuensium navibus transvexisse:  
 se tamen hujus facti veritatem fide sua  
 testamat nolle, nec sibi persuaderi posse,  
 Genuenses tanta tamque indigna avari-  
 tia correptos, ut Christianorum sanguinem  
 pecunia vendere præsumerent, nisi,  
 subjungit idem Scriptor, eos diabolus,  
 sicut Judam Iscariotem sibi subjecerit.

### §. LXXXII.

*Amurates Christianorum copiis Varnæ  
 obviam progressus.*

Sed utut hæc sint, id certum est, Amu- Nauder. ge-  
 ratem, sic penetratis Helleponsi fau- ner. 49.  
 cibus, magnis itineribus obviam Chri- p. 465.  
 stianis processisse, eisque apud Varnam  
 Mæsiæ inferioris urbem ad Pontum Eu-  
 xinum occurrisse, hostemque ad pugnam  
 provocasse. Ladislaus Rex, quamvis in  
 sinistro crure vomica laboraret, nihilomi-  
 nus ingenti pugnandi auditate flagrabat,  
 nec

Sæcul. XV.  
A. C. 1444.

nec ejus impetum retardabat Julianus Cardinalis, qui securius fore censebat, si Christianorum castra prope montem solfa, & vallo munirentur, donec hostium vires exploratæ, ac perspectæ fuissent, certusque nuntius de classe, & Græcis haberetur: Plures quoque alii in Cardinalis sententiam abierunt. Ex adverso tamen Huniades & Georgius Despota replicabant, sibi plusquam fatis compertas esse Turcarum vires, quibus solemne effet copiarum suarum numerum plus justo extollere, nec inde Hungaris, quorum virtus universo Orbi abunde comprobata foret, quidquam timendum, etiam si Sultani potentia adversus eos consurget. Prævalente utriusque hujus Ducis temerario prorsus consilio, postridie in aciem descendere statutum est. Verum cum uterque exercitus proprius concurreret, Huniades tam insolido hostium numero conterritus, Regi Ladislao, ut certaminis discriminem declinare, ac se recipere vellet, auctor extitit. Huic Rex in responsis dedit, sera nimis ejus esse confilia, satius fore virili fortitudine incertæ pugnæ periculum facere, quam certo dedecore infamem fugam arripere, simulque eidem fastuosos ipsius sermones, quibus pridie jactabundus uno hiatus Turcas devorare videbatur, concitate animo exprobrabat, omnesque ar-

ma

ma sumere, atque ad praelium paratos Sæcul. XV.  
esse jubebat. Commissa igitur eidem A. C. 1444.  
Huniadi aciei, ordinumque dispositione,  
non nisi octodecim, vel, ut quidam vo-  
lunt, viginti millia Christianorum nume-  
rata fuere, Turcarum copiis ad sexagin-  
ta & amplius, vel etiam juxta quorun-  
dam Scriptorum fidem, ad centum mil-  
lia ascendentibus, initumque est præli-  
um decima die Novembris in vigilia  
Sancti Martini.

### §. LXXXIII.

#### *Prælum Varnense inter Christianos et Turcas.*

Ergo non minori fortitudine, quam diu- *Naucler. ge-*  
turna pugnantium pertinacia utrin-*ner. 49.*  
que commissum est prælum. Vix prima *p. 466.*

Christianorum acies obvia quæque Tur-  
carum perruperat, cum Amurates sini-  
stro hoc facto conterritus, confestim fu-  
gam arripere, arenaque excedere con-  
stituit, quem tamen officiales sui fugien-  
tem, arrepto equi freno cohibuerunt,  
mortem minitati, ni abjecta vecordia  
strenue ad pugnam rediret. Restaurato  
igitur prælio, & furore utrinque animi  
ardorem acuente, diu ancipi Marte pu-  
gnatum est, victoria nunc ad Christianos,  
nunc ad Turcas inclinante, tandem  
vero Ottomanis accessit, ubi & Chri-  
*Hist. Eccles. Tom. XXVIII. G. stiani*